

Università di Trieste
Fac. di Med. e Chir.

**FONDO
PINCHERLE**

423
.....

Biblioteca Centrale
di Medicina

h23

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO PRACTICA

DE

**CAUSIS PROCATARCTICIS
IN MORBIS INFANTIUM,**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI TRADIT

Emanuel Höbenreich,

Styrus e Neuberg.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die . mensis Martii 1837.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Die Kinder sind das köstlichste Kleinod ihrer Aeltern, die Kinder sind die Blüten und Hoffnungen des Staates, sie sind die Pflanzschule der Menschheit.

Löbisch.

AMICO DILECTISSIMO

FAUTORI COLENDISSIMO

DOMINO

Joanni Ev. Pauer.

SCIENTIARUM ET LITERARUM

CULTORI

TENUAS HAS PAGELLAS

TAMQUAM

STUDII ACADEMICI

PRIMITIAS

IN

PIAE VENERATIONIS ATQUE PERENNIS GRATITUDINIS
PIGNUS OFFERT ET CONSECRAT

Auctor.

Prooemium.

Causas procatarticas, causas occasionalas, potentias nocentes, causas morbi externas — Gelegenheits-Ursachen der Krankheiten — quatenus in organismo infantili, ubi dispositio favet, vel relativo modo, vel absente quoque dispositione modo absoluto morbos producunt, eoque singularem in cognoscendis et tractandis morbis infantilibus medici attentionem exposcunt — pro dissertationis meae inauguralis medicae argumento seligens minime quidem ut harum doctrinam omnibus numeris absolutam proponerem, sed id potius mihi agendum existimavi, ut cardines praecipuos traderem, quorum medicum causas morborum infantibus infestorum externas indagantem nunquam non memorem esse oportet. In quorum momentorum dispositione ordinem sequi placuit, quem in institutionibus clinicis celeberr. *Joh. Valent. Nob. ab Hildenbrand* hujus Scholae clinicae adhucdum praelucentibus observatum inveni.

Quae in hoc opusculo exponenda veniunt, partim ex praelectionibus paediatricis extraordi-

nariis a clariss. et celeberr. Domino *J. E. Löbisch*,
laudatae cathedrae professore, nec non instituti
paediatrici direttore, in Vindobonensi scientia-
rum Universitate publice habitis hausit, partim
duce et auspice sagacissimo magistro ad lectos te-
nellorum aegrotantium ipse collegi, atque qui-
busdam, quae *Henke*, *Hufeland*, *Vogel* et alii
scripserunt, collata exiguis hisce, quas me lex
academica conscribere jussit, pagellis commisi.

Auctor.

§. 1.

Quodsi certissima morbi determinatio, prognosis securissima, nec non tutissima therapia omnium consensu a causae morbi cognitione dependet; in causis morborum infantilium indagandis certissime solertia et industria sat magna adhiberi nunquam poterit. In adultis enim revera triplex medico via patet, qua causas morborum occasionales eruere valet: vel aeger ipse, quin interrogetur, easdem sincere fatetur, vel medicus examine instituto illas ab aegro rescire, vel demum a circumstantiis morbificis generalibus ad causas ejusdem casto ratiocinio concludere potest. Qui vero ad infantem aegrotum vocatur nonnisi duas ingredi potest vias, quae ad causas morbi eundem torquentis occasionales expiscandas ducunt: examen nimirum adfinitium vel adstantium, et propriam iterum prudentiam et ratiocinium, quo causas morbificas generales probe noscens logices regulis ab effectu praesente ad causas praegressas ducitur.

Unde sequitur, de duobus hisce argumentis in causis morborum infantium occasionalibus eruendis summe momentosis infra speciatim tractandum esse.

§. 2.

Medici infantem morbo affectum curantis magnopere intersit oportet, ut ex parentibus, obstetricibus, nutricibus aut quocunque alio, cujus curae traditus

fuerit, quam diligentissime quaerat, quae potentiae nocentes in eundem egerint, quibusve expositus fuerit. Hi nempe, ut cum *Vogelio* loquar, infantis naturam ejusque valetudinis limites quam optime norunt; maxima enim horum ad omnia, quae infanti acciderunt, attentio quam plurima observavit, quae medicum ad morbum indagandum et propius definiendum informant.

§. 3.

Quae tamen ab iis proferuntur nequaquam semper pro veris habenda sunt. Nam ignorantia, praejudicia, aut perniciose infantes nutrientium astutia, nec non vituperanda parentum negligentia aequae ac stultus, quo simiarum more prolem amplectuntur, amor, medicum soepe soepius circumstantias de industria celant, quas rescire ipsius valdopere interfuisset, aut easdem mancas et falsas referunt, damnumque interdum irreparabile parant. Hinc medicum aliorum effatis fidem nunquam absolutam habere oportet, sed quaecunquae ipsi hoc respectu audiendi occasio oblata est, proprio judicio et examini subicere decet.

§. 4.

Quod autem illas proprietates attinet, quae medicum infantium revera talem constituunt, quasque eximius *Hufeland* medicorum cuivis proprio exemplo et aureis verbis commendat, indefessam patientiam et fidam hujus sororem attentionem nimirum ad minima quaecunquae, quamvis levissima videantur, adjuncta extensam, primas tenere extra omnem dubitationis aleam positam censemus compertum habentes, in tanta, qua infantilis organismus gaudet, compagis organicae teneritudine agilitateque rebus levissimi momenti gra-

ves imo gravissimas mutationes produci, atque minima scintilla soepe maximum incendium excitari.

Plurimas, et quidem minimas in rerum natura potentias infantes gravissime adficere, in adultos vero nec minimam vim exerere nocentem putamus, hocque adsertum non tantum de remediorum effectibus, sed et imprimis de morborum causis valere persuasum habemus.

I. De examine adfinium et adstantium.

§. 5.

Causae, quae morbis infantium subsunt, ab adfinibus vel adstantibus medici examine inveniendae ad ingesta, gesta et externe adplicata referuntur.

A. De ingestis.

§. 6.

Ingestis adnumerantur: 1) alimenta et potulenta, 2) medicamina, 3) aër inspiratus.

Alimenta et potulenta.

§. 7.

Medicus nutrimenta infanti exhibita inquirens imprimis ejusdem aetatem prae oculis habeat oportet. Aetas enim varios respectus necessarios reddit. Omnino magnopere interest, num in prima vitae periodo mater an nutrix infanti ubera praebeat, vel vero tennellus artificialiter, ut ajunt, nutriatur; num ubera modo, et modo nutrimenta ipsi praebeantur, et in quibus alimentis et potulentis haecce consistant.

§. 8.

Matris aut nutricis infanti ubera praebentis valetudo quaecunque, vitae tenor ac indoles non minus, ac status infantis ipsius medico, qui fideliter suis fungitur officiis curae sit oportet. Hujus igitur non tantum erit interrogare, num ratis temporibus infanti ubera praebentur nec ne, et quoties mater vel nutrix hocce fungatur officio; sed et sibi persuadere, num mater vel nutrix valetudine fruatur secunda, num lac in debita quantitate secernat eaque qualitate praedetur, quae lac bonum constituit, ac salutare infanti nutrimentum subministret.

Nec minus sua scire refert, quam vitae rationem mater vel nutrix observet, num cibus pinguibus, acidis, digestu difficilibus, flatus moventibus fruatur, vel potulentis spirituosus, cerevisiae recenti, quae fermentationem acidam nondum absolvit etc. indulgeat, et quam omnium horum copiam sumere consueverit; num in libero et sereno aëre moderate obambulet, an vero vitam in cubiculo sedentariam degat. Praecipue indagandum erit, num pathematibus et affectibus violentis agitetur vel deprimentibus angatur: ante omnia hinc expiscandum, num infantulo statim post affectum quemcunque ubera praebuerit.

Res est quoque magni momenti scire, num menstruo fluxu polluat uterumve gravidum ferat.

§. 9.

Maximam autem attentionem medici meretur infans, cui matris aut nutricis ubera denegantur, quique, ut ajunt, artificiali modo nutritur. Quod quum fit, medicus praeprimis sciat oportet, num infans uno tantum nutrimentorum genere utatur, quae sit eorum-

dem indoles ac copia, an vero multifarium nutrimentorum genus sequatur; num haec in animalium, et quorum, lacte consistant, an vero in jusculis et pulvere vario modo e pane biscocto ac farina parata; num parvulis, quod fere fieri solet, potus e fabis coffeae ac seminibus cacao, vel glandibus tostis etc. paratus exhibeatur, quae omnia horum saluti interdum nociva evadere possunt, ac propterea medicum restituendae aegrotantium saluti intentum effugere non debent.

§. 10.

Ast quum infanti non amplius ubera praebentur, eaque jam dudum denegantur, sollicitè inquirendum erit, quamdiu tenellus lactens mammis adhaeserit; num protinus, an pedetentim mater vel nutrix ipsi naturalem laticem subtraxerit, et quibus sub rerum adjunctis haec omnia facta sint; num denuo uberibus admotus sit, et quae inde mutatio in lucem prodierit, et quae nutrimenta ipsi lactatus tempore, aut postquam mammarum suctu abstinere jussus erat, praebita sint.

§. 11.

In infantibus, aetate paulo majoribus easdem quoad nutrimenta et universam dietam regulas proponendas censemus. Observatione medici perquam dignum est, num nutrimentis diversi generis promiscue fruuntur, et qua copia et indole eadem ipsis exhibeantur; num igitur carne copiosa, cibis e farina cerealium vel solani tuberosi paratis, pinguibus vel acidis, vel quocumque demum modo depravatis, cupediis etc. vescantur; quae potulenta ipsis praebeantur, num fructibus horreis, immaturis, acidis vel putridis frui, posteaque aquam, cerevisiam vel lac bibere soliti sint; num cerasa una cum nucleis deglutire consueverint, unde

tam saepe pertinaces alvi obstructiones et congestiones superiora versus directas nec non convulsiones inde enatas observandi occasio offertur.

§. 12.

Atque temperatura demum nutrimentorum omnem nostram attentionem in se convertit. Hinc quam maxime indagandum putamus, num infanti haecce callida vel frigida praeberi soleant, an vero et infans miserri-
mus immediatas horum caloris frigorisque vicissitudines experiri debeat.

Sed modus etiam, quo cibi ac potulenta infantibus exhibentur considerandus erit, et quod nobis saltem princeps perversae nutritionis adminiculum videtur esca dulcis, quam infantis ori sugendam immittere solent angue magis fugienda.

M e d i c a m i n a.

§. 13.

Medicamina, prophylactica praecipue, infantibus non minus ac adultis et in utrorumque perniciem prohdolor tantoties propinari solent. Hinc et haecce medicus reminiscatur et sua attentione dignetur, nec reliqua, quae adhiberi solent, obliviscatur, et quomodo adplicata sint, sollicite quaerat, quae de balneis atque enematis neonatorum imprimis dicta sunt.

A ë r.

§. 14.

Aër, in quo homo vitam haurit et spirat, neonatorum superficiem omnem jam alluens, calore, frigore, utriusque vicissitudine, humiditate, impuritate vel ten-

sione electrica eorum saluti infensus fieri potest, de quo vero inferius, ubi de domicilio agetur, plura dicenda venient. Ut igitur hic loci nonnisi modum perstringere necessarium existimemus, quo infantulos, qui vita expertes in lucem edi videntur, a morte vindicari moliantur. In quam rem monendum habemus, aërem teneris pulmonibus impetuose inflatum ut plurimum deleterium fieri. Quamobrem hocce vivificandi conamen nonnisi frustra tentatis lenioribus remediis, in summa rerum angustia, tuncque maxima cum cautella et patientia instituendum censemus.

B. D e g e s t i s.

§. 15.

Motus et quies corporis et animi, nec non somnus et vigiliae, gesta constituunt. Quae, quum excessu et defectu peccant, quantum soepe soepius inferant damni neminem latere arbitramur.

Motus et quies corporis.

§. 16.

Nutrimetorum genere perlustrato medici erit infantis motus quietisque vicissitudinem animadvertere. Praeprimis autem videat oportet, num corporis exercitium diversis aetatis periodis adaptetur, nec ne.

§. 17.

E quietis defectu neonatorum valetudinem non parum damni redundare credimus, qua, quo brevius a nativitate tempus emensi sunt, eo magis indigent infantes. Sic partus praematuri dies, per quos e regula in utero materno versari debuissent, somno plerumque sopiti transigunt.

§. 18.

Nec minus naturae repugnat quies nimis protracta, quum jam infantibus motus in necessitatem abiit.

Nunc medicus sedilia, quibus quasi palantur, eorumque situm sua dignetur attentione, et quum jam tempus fert, scire laboret, num scholae scamnis adfixi, exercitiove cuidam, quod certos modo corporis motus postulat, continuo adstricti teneantur. Certe quoque infantium saluti male consulunt, qui eosdem semper in eodem brachio gestant, quum spinae dorsi deformitates, thoracis vitia aliaque inde nasci mala observatio docet.

Medicus, qui causas morborum studet, nec casus infantium, et quid inde accidere soleat, ignoret.

§. 19.

Motui aetiologico intuitu examinato coeli temperies ad infantem relata recte adnectitur. Quam benignam aër rite constitutus in vitam exserat vim, quam proficuum homini esse soleat, ipsius tempestatis vicissitudinibus quamprimum assuefieri, neminem ignorare censeo, neque in dubium quemquam vocare puto, habitum mollem, tenerum, laxum, effeminatum cuiusvis fere potentiae nocivae patentem ab iis contrahi, qui omnem externorum rerum adpulsum et levissimam quamcunque ansam sollicite fugiunt.

Motus et quies animi.

§. 20.

Altiores animi facultates in infantibus nondum excultae internum eorum statum sincerissime manifestant, neque, quod in adultis tantoties fieri solet, dissimulatione et turpi fraude medicum fallere valent.

Etenim infantes, quos innocentia et simplicitas adhuc naturalis regit, interno quidem adfectui nunquam alienam faciem praetendere credimus, minime vero dum morbo laborant.

Hinc in infantibus ex vultu et lineamentis omnifere jure ad morbum quemdam in organismo latentem tamquam sincerum praesentium symptomatum fontem concluditur. Quam quidem conclusionem in adultis, qui, quae ipsis accidunt, modo pejora simulant, modo plane negant, adeoque claram morbi imaginem obscurant, quorumque animus diversimode agitatus proteiformem quoque corporis adspectum plerumque pedissequum habet, medici sapientia duce medicinam colentes minoris facere solent.

§. 21.

Attamen medicus infantes curans nunquam obliviscatur, quemadmodum impatientia, nimia, qua matres plerumque eosdem tractant, indulgentia, obstinatio, et omnes perversae educationis consuetudines eorum agendi modum modificent, ut genuinum morbi effectum a pravis moribus distinguat.

Etiamsi haec aetas crimine ac inveteratis careat pathematibus, affectibus tamen vividissimis et summo-pere mobilibus haud caret. Voluntas quidem infantium robore nondum gaudet, ast eo facilior eosdem cupido regit, in quorum concursu obstinationem et pravos mores altissimas radices figere nemo unquam negavit, cui gesta parvulorum attentiori quidquam animo contemplandi occasio fuit.

§. 22.

Omnes autem infantis affectus ad instinctum conservationis sui ipsius et quemdam propriae impoten-

tiae sensum reduci possunt, qui aut ingrati sunt: timor, terror, indignatio et ira, aut grati: major quidam jucunditatis gradus, gaudium, quod risu produunt.

§. 23.

Matris aut nutricis, quae infanti ubera praebent, affectus omnem medici attentionem mereri jam supra monuimus docentes, eosdem gravissimorum malorum, quae in infantis organismo redundant, scaturiginem esse.

Quod autem gravissimum medici opus et futura infantis salus quammaxime exposcunt, indefessum nobis videtur studium inquirendi, ane imprudentes nutrices aut curatrices infantulos titillare, aut quod maxime reprehendendum censemus, ad partes eorum verendas ludere soleant, quos vel quieti tradant, vel ad risum excitent. Ad multa, quae temporis successu inde scaturire possunt, mala, spasmi pectoris, tussis asthmatica, convulsiones et suffocatio ipsa pertinent.

§. 24.

In infantibus progredientis modo aetatis, quorum intellectus facultates evolvi coeperunt, magnopere attendendum esse putamus, ane perversa methodus mentem praemature intendat, quod in prima altioris vitae periodo soepissime in vitae inferioris detrimentum fieri solet; sicuti in prima vitae periodo non raro inveniuntur incitamenta majora: lux intensa, sonus vi excedens, odores nimis fortes etc. teneros infantium sensus impetuose sollicitantia.

Somnus et vigiliae.

§. 25.

Quae de quiete in genere dicta sunt, infantes nimirum, quo brevius a nativitate tempus emensi sunt, eo magis ea indigere, etiam de maximo illius gradu, de somno nempe valebunt, quo neonatus maximam diei partem transigit. Somnus igitur naturalis et propterea etiam necessarius nequaquam pro morbi causa declarandus erit. A quo tamen illam somnolentiam quasi narcoticam distinguamus oportet, qua nutrices mercenariae infantes sopire solent, quo quies ipsarum minus turbetur. Huicce abusu vehemens cunarum agitatio, prava caput manu mulcendi consuetudo, ac ante omnia potus narcotici (ex decocto capitum papaveris etc. vario modo parati) et odores fortes accensentur.

§. 26.

Aliter autem res se habet cum agrypnia, seu somni desiderati fuga, quae, si soepius recurrit, et per longius tempus durat, varia mala pedissequa habere potest. Quare ipsius origo quum diligentissime quaerendus erit, non enim semper et ubique morbo producitur, sed in aliis quoque rebus uti fasciis praeter modum strictis, inconsueto caloris gradu, quin imo solis sordibus primum quandoque fontem agnoscit.

C. Externe adplicata.

§. 27.

Inter varias res infantis corpus ab extus adgredientes sive mechanicae sive chemicae sive chemico-dynamicae sint naturae, aër, qui terram ambit, to-

tam hominis superficiem alluens primas tenere, ac multorum morborum fontem in se recludere videtur. Ejusdem autem vis organismo quandoque inimica domicilio et vestimentis quodammodo arceri potest, quapropter eorum mentionem modo faciemus propositum nobis ordinem servantes.

D o m i c i l i u m .

§. 23.

Hypocaustum, in quo infans degit, medicus quammaxima dignetur attentione. Oculi, qui non temere circumferuntur, sed mente ad varias, quae circumjacent res diriguntur, haud raro quam plurima detegunt, quae accuratissimum examen secus effugere potuissent.

Soepe soepius jam primus intuitus medicum edocet, quo consilio et qua prudentia parentes ac curatrices infantium curam suscipiant, ut temperaturam et quamcumque aliam hypocausti qualitatem silentio praeteream, quae medicum praesentem celari non possunt, an nimis calidum, frigidum, humidum, obscurum, vaporibus et odoribus fortioribus gravidum aëri-ve perflanti expositum sit. Horum si imprimis plurium et diutius agentium effectus organismum infantilem infestant, ejus evolutionem non retinere non possunt. Vi autem vitali infracta organismo imperfectionis nota imprimatur necesse est in cunctis corporis systematibus et functionibus conspicua.

Hinc minime miraberis, quum rhachitidem, scrofulas, impetigines chronicas ipsamque atrophiam ibidem altissimas radices figere legeris.

V e s t i m e n t a .

§. 29.

Vestimenta diurna et nocturna, lectus nempe, fasciae et vestes proprie sic dictae medici attentionem in eorundem munditiam aliasque proprietates omnino merentur. Hinc diligenter ipsi inquirendum erit, num haec omnia probe laventur; aetati, anni tempori hujusque tempestati adaptentur; ane fasciae et vestes nimis strictae et tensae sint.

§. 30.

Quodam respectu etiam capilli, naturale capitis velamentum considerandi veniunt. Praeprimis medicus resciat oportet, num eorum mundities servetur, unguentum quoddam capillare illis infricetur, frigidove aëre extemplo rescissi fuerint, quae glandularum colli tumores, ophthalmias, affectiones catarrhosas, encephalitidem, convulsiones etc. pedissequas habere solent.

II. Causae a solo medico eruendae.

§. 31.

Quodsi affines et infanti morbo laboranti adstantes in omnia superius exposita momenta, quamvis rite ponderata, nihil adferre possunt, quod medicum curam molientem ad cognoscendam morbi causam ducere queat, quoniam eosdem penitus latet, v. g. epidemicum invisibile miasma vel contagiosum; tunc causae morbificae cognitio ex aliis fontibus eruenda erit, medico soli notis et ab illo nec aliter ac in adultis fieri debet, probe reputandis.

§. 32.

Morborum scilicet universaliter grassantium ac ex causis manifestis soepe prodeuntium perpensio comparatioque cum dato morbo plurimum quandoque ad ejus diagnosim rite instituendam conferre possunt.

§. 33.

Atque tunc medicus sola philosophia in tantis tenebris lucem praeferente morbi causam indagare valet. Quod ut praestare possit, omnium, quae ab anni tempore, tempestate, climate, constitutione endemica et epidemica nec non a caractere stationario atque contagiis tunc temporis grassantibus pendent, mutationum nunquam non memor sit oportet.

Hisce ducibus multorum morborum originem attingere remotasque eorum causas quadantenus assignare poterit. Hinc, quod non raro videndi nobis occasio offertur, fieri solet, ut medici experientia et profunda naturae scientia instructi evolutionem morborum infantis epidemice infestantium: variolarum, morbillorum, scarlatinae etc. in ipsis horum primordiis, quae acerrimum secus observatorem quandoque effugiunt, mente ad genium epidemicum conversa argute suspicentur — de morbis hujus indolis praesentibus verissime judicent atque futuros gravissime conjiciant.

Theses defendendae.

I.

Vita, sanitas, morbus, mors ejusdem sunt scaturiginis.

II.

Limes characteristicus inter somnum et vigiliam non datur.

III.

Medicus communis sit infimis, par principibus.

IV.

Ex modo aegros examinandi recte ad reliquam medici prudentiam concluditur.

V.

Congruum regimen diaeteticum primum in omni morbo remedium.

VI.

Lusus infantiles sapienter directi optima variarum curvationum prophylaxis.

VII.

Qui a podagra liber esse vult, aut pauper sit, aut pauper vivat.

VIII.

Mater, quae pusionem suum lactat, et sanitati et formositati suae prospicit.

IX.

Ex aquarum medicatarum partibus constituentibus nefas est concludere ad earum effectum.

X.

Partus serotini sunt concedendi.

XI.


Omnis partus praematurus arte provocatus est condemnandus.

XII.


Docimasia pulmonum hydrostatica incertum praebet signum respirationis infantis post partum.

XIII.

Formula medica quo simplicior eo melior.







Dissertationes
physiologicã. et
pathologicã.

